31 b.

ORDINIS MEDICI IENENSIS

H. T.

DECANVS

# ERNESTVS ANTONIVS NICOLAI

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

# IOANNIS CHRISTIANI LUDOVICI REDDELIEN

ROSTOCHIO - MEGAPOLITANI

A. D. VIII MARTII MDCCXCIV.

HABENDA

INDICIT

---

PRAEMITTITUR COMMENTATIONIS DE MORBIS GASTRICAE ORIGINIS

PARTICULA II.

---

IENAE,

TYPIS STRANCKMANNI.

Me non intelligere fateor, quomodo mucus, pituita, bilis vitiata aliaeque ſordes in primis viis haerentes ex his ad pulmones, aſperam arteriam, bronchia fauces et membranam pituitariam, quae nares fauces aliasque partes obducit, perveniſre et catarrhos gignere poſſint. Forſan ex peculiari ventriculi a ſordibus irritati cum pulmonibus conſenſu catarrhorum origo poteſt deduci, ſed cur non oritur catarrhus a ventriculi inflammatione, quae ſine magna eius irritatione exiſtere non poteſt, a cardialgia vel alio dolore ventriculi inſigni, qui ſine magna irritatione eſſe non poteſt? Longe major et arctior videtur mihi eſſe iſte conſenſus, qui intercedit ventriculo cum diaphragmate, quam ille, qui deprehenditur inter ventriculum et pulmones, et nonne irritatio ventriculi a ſordibus potius diaphragmatis, quam pulmonum irritationem, et potius ſingul-

gultum, quam catarchum producat neceſſe eſt? Cum igitur hocce modo ex primarum viarum vitiis non gigni poſſit catarrhus, ut alia plane ratione exinde iſte naſcatur neceſſe eſt. Primarum viarum a ſordibus ibi haerentibus praeter naturam factam et auctam irritationem inducere cuti ſpaſmum periphericum et tranſpirationem ſupprimere, non eſt, quod multis probem. Exiguam jam praeternaturalem primarum viarum irritationem ſufficere ad tranſpirationem imminuendam, jamdudum demonſtravit Sanctorius. Tranſpiratione ſuppreſſa non aqueae ſolum in vapores reſolutae, ſed etiam aliae valde ſubiles, volatiles, ſulphureae, acres, ad putredinem pronae et jam putridae partes retinentur maſſaeque ſanguineae commiſcentur, quae, ſi non per ſanguinis organa depuratoria e corpore ſecernuntur et excernuntur, in maſſa ſanguinea accumulantur et cum ea circulatione ad pulmones aſperam arteriam bronchia fauces aliasque et iſtas quoque membrana pituitaria obductas partes deferuntur et irritando haſce partes affluxum humorum et muci excernendi augendo catarrhum inducere poſſunt. Accedit, quod ſordibus in primis viis haerentibus, ſi ejusmodi ſunt, ut in putredinem vel rancidam acrimoniam abeant, cum hoc fit, liberentur partes acres, quae per vaſa abſorbentia ad maſſam ſanguineam delatae

nec per ſanguinis organa depuratoria excretae, itidem cum maſſa ſanguinea commixtae ad commemoratas partes deferuntur et modo paulo ante explicacio catarrhum efficere poſſunt. Facile quoque eſt perſpectu, easdem partes maſſae ſanguineae commixtas, de quibus dixi, ad partes muſculoſas circulatione ſanguinis delatas has irritando rheumatismos excitare poſſe. Quae de ſordibus primarum viarum hactenus dixi, valent quoque de bile his locis abundante et in putredinem abeunte et cruditatibus ab aſſumtis non decenter digeſtis relictis, rancidam vel putridam corruptionem ſubeuntibus idque genus aliis colluviei ſpeciebus. Ex hactenus in medium adductis ſatis ſuperque apparere arbitror, catarrhos et rheumatismos, quae a memoratis cauſis in primis viis haerentibus oriuntur, nequaquam ferre et expoſcere ſanguinis miſſionem et remedia ſudorifera et calefacientia; e contrario poſtulare ea, quae primas vias purgant vel per vomitum vel per alvum, prout ſordes vel ſurſum vel deorſum turgent, ac ſanguinis miſſionem, ſi nulla adeſt polyaemia, et ſudorifera ac calefacientia hos dictos morbos exacerbare et augere, peiores graviores periculoſiores acutiores et maligniores reddere. Egregie haec confirmant ſupra adductae obſervatines illuſtris Stoll,

qui

qui catarrhos bilioſos ſanguinis miſſione, praecipue iterata et profuſiori, multum exaſperatos, alvi vero ductione nonnunquam aut emeſi, eaque certius, aut emetocatharſi certiſſime ſublatos, et rheumatismos bilioſos vomitorio curatos vidit. Cavendum vero eſt, ne ex altera parte nimia viarum primarum purgatione noceamus, quia haec tranſpirationem, quae ad curationem catarrhorum et rheumatismorum maxime eſt neceſſaria, ſupprimit. Reliqua alii reſervabo occaſioni.

Poſtulat muneris mei ratio, ut panegyrin ſollemnem optimi Candati indicam, qui, dum apud nos arti Medicae diſcendae operam dedit, eam adhibuit aſſiduitatem et diligentiam, ut omnibus eum recte laudem. Quam vitae ſtudiorumque viam ſit ſecutus, hisce expoſuit verbis.

Ego *Ioannes Chriſtianus Ludovicus Reddelien hujus mundi lumen adſpexi Roſtochii in Ducatu Magapolitano die decimo nono menſis Octobris anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo primo. Pater mihi fuit* Matthias Ludovicus Reddelien *ab epiſtolis Magiſtratus, Mater vero Anna Magdalena, ex ſtirpe Prehn. Pater cariſſimus proh dolor! jam in*

*tenerrima mea pueritia praematura morte mihi ereptus eſt. Mater, optime de me merita, decimo octavo aetatis meae anno, diem obiit ſupremum. Optimi hi parentes omnem impenderunt curam, ut in religionis principiis, aliisque, quibus puerilis aetas imbui ſolet, literis, tam in publicis quam privatis ſcholis, mature erudirer. Cum vero deſiderio, pharmaciam addiſcendi, flagrarem, decimo ſexto aetatis meae anno, Wiſmariam me contuli, ubi in pharmacopolio Cl.* KINDT *ſpatio ſex annorum hanc artem pharmaceuticam didici. Hoc tempore praeterlapſo, paternam urbem iterum petii, ibique Cl. pharmacopolae* MAEHL *in laboribus pharmaceuticis per tres annos opem tuli. Amico vero, qui tunc temporis Moſcoviae habitabat, ſuadente, iter in hanc urbem feci, ubi per duos annos in Cl.* BOERNICRE *et Cl.* HILDEBRANDT *pharmacopoliis per ſeſquiannum proviſoris munere functus ſum. Cum autem jam diu mens mihi fuiſſet, Medicinam addiſcendi, in patriam reverſus Berolinum me contuli, ibique ab Excellentiſſima* MAYER *tunc temqoris Decano, numero muſis addictorum adſcriptus ſum. Ille me Phyſiologiam docuit, Celeb.* KNAPE *in Oſteologia, Splanchnclogia et Medicina forenſi; Exc.* GÖNNER *in Phyſiologia, Pathol gia, Semiotica, Materia medica, Therapia ſpeciali et Chirurgia*

*me-*

*medica me erudiere. Illuſtris* Frizte *exercitationibus clinicis interſui, nec non Exp.* Mursinna *praelectiobus in Chirurgiam manualem. Cl.* Wildenow *in botanicis et diſtoria naturali me erudivit. His ſtudiis peractis aeſtivo ſemeſtri anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, in hanc Muſarum ſedem profectus ſum, ubi Ill.* Reichard, *tunc temporis faſces academicos tenens, in numerum civium academicorum me recepit. Hic Excell.* Voigt *in mathematicis, Excell.* Reinhold *in logicis et metaphyſicis, Perilluſtris* Gruner *in Medicina forenſi, Excellentiſſ.* Hufeland *in Therapia generali me erudivere. Ill.* Starck *artem obſtetriciam me docuit. In inſtituto clinico medico-chirurgico, ſub ill.* Loder *et* Hufeland *auſpiciis florente, aegrotos curandos vidi et ipſe curavi*

*Omnibus hisce Praeceptoribus, ad cineres uſque colendis, pro eorum in me collocatis beneficiis gratias, quas poſſum, maximas ego, Deumque precor, ut diu adhuc ſalvos et incolumes eos ſervet.*

Ad examina admiſſus ad quaeſtiones propoſitas cum nobis recte reſpondiſſet, commotus eſt Ordo no-

noſter, ut de ſummis honoribus, quos rogavit, medicis ipſi decernendis non dubitaret, ſimulatque diſſertationem ſuam publice defenderit. Quod faciet Praeſide illuſtri LODER collega conjunctiſſimo die VIII. Martii. horis locoque conſuetis. Vos ergo, MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR, S. R. I. COMES ILLUSTRISSIME, PROFESSORES AC DOCTORES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMI, PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI AC NOBILISSIMI COMMILITONES CETERIQUE BONARUM LITERARUM FAUTORES, ordinis mei verbis per officioſe oro rogoque, ut praeſentia veſtra hunc actum illuſtriorem et ſpendidiorem reddere velitis. P. P. ſub ſigillo Facultatis medicae a. d. VI. Martii. MDCCXCIV.

(L. S.)